


LVNÆ DIE 16 M. APRILIS A. 2007

A.d. XVI Kal. Maias a. MMVII

I 37

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DE RVINA CVIVSDAM SOCIETATIS HVMANÆ

Multum nunc temporis agitur de exhaustionis periculo nostræ Terræ instanti. Crassus titulus, exempli gratia, in prima pagina diarii « Le Soir » nuper exhibitus¹ significat « Quomodo Belgæ planetam exhauriant ». Plerique vero nostratium putant hoc esse dubium, nec censent quicquam mutandum esse in suis vivendi consuetudinibus. ¶ Inutile ergo non est comperire quid acciderit nonnullis humanis societatibus, quorum homines videntur ad suam ruinam inexorabiliter processisse cæci. ¶ Optimum exemplum præbet insula Paschalis. Quæ insula diu fuit ænigma ; quomodo enim miserabiles indigenæ, quos duodevicesimo sæculo primus Europæorum invenit Nederlandus navigator Iacobus Roggeveen, complures centenas ingentes statuas exsculpere, transportare atque erigere valuerunt ? Res tam portentosa multorum hominum curiositatem excitavit et, deficiente rationabili explanatione, nonnulli etiam imaginati sunt eam esse opus extraterrestrium ! ¶ Cum essem adulescens, me multum movit navigatio ratis Kon Tiki, quam anno 1946 Norvegus explorator Thoraldus Heyerdahl a litore Chiliensi usque ad archipelagum Tuamotu audacter duxit. Hoc facinore demonstrare conabatur incolas Americæ meridionalis ad insulam Paschalem olim appellere potuisse ; argumentabatur illos solos, cum excultiores essent, tanta prodigia efficere potuisse. ¶ Ab eo tempore insula Paschalis scientificè investigata est a diversis hominibus zooarchæologiæ, palynologiæ, ethnographiæ necnon linguistiæ peritis. Omnia vestigia diligenter exquisita et investigata sunt, inter quæ multa milia ossium et innumerabilia grana pollinis. E quibus fieri potuit ut vera insulæ historia notior fieret. ¶ Paschalenses pertinent ad stirpem Polynesianam, cuius gentes rei navalis peritissimæ ex Asia profectæ omnes insulas Oceani Pacifici gradatim incoluerunt. Insula Paschalis harum omnium est remotissima ; ad occidentem versus 2.100 chiliometris distat a proxima insula Pitcairn, ad orientem 3.700 chiliometris a litore Americæ meridionalis. Polynesiani longa itinera faciiebant binis lintribus monoxyliis iunctis vecti, quibus non solum familiam sed etiam animalia domestica secum transportare valebant. ¶ Singulare facinus fuit remotam insulam Paschalem invenire ; hoc factum est circa annum 900 p.Ch.n. a paucis Polynesianis, ut videtur. Unum tantum genus animalium domesticorum secum attulerunt, quod est gallinaceum, sed inviti etiam importaverunt ratos. Postea videntur nullum contactum iam habuisse cum congeneribus suis, verisimiliter propter nimiam distantiam. ¶ Hic ergo est mirus casus, quo nobis contingit effectus humanæ præsentiae in microcosmo omnino segregato invenire.



www.quid.fr

¶ Nostri intrepidi nautæ appellunt ad insulam triquetram tribus exstinctis vulcanis præditam. Silvæ, quæ totam insulam contegunt, constant e viginti fere arborum speciebus. Palma vinifera Chiliensis, viginti metra alta et unum metrum lata, affert sucum dulcem, quem fermentatio mutat in potionem alcoholicam ; eius nuces sunt bellaria ; folia idonea sunt ad tecta, vela vel canistra conficienda. Inter ceteras species duæ aptæ sunt ad lintres monoxylias exsculpendas. ¶ In silvis discurrunt sex species avium terrestrium (i.e. non volantium, sicut struthio) ; nullum animal mammale, nullum reptile. Viginti quinque species avium maritimarum ibi nidificant, maxima tranquillitate fruentes, cum nullus adsit prædator. Est frequentissimus nidificiorum situs in tota Polynesia. Novi incolæ, quibus metalli usus nondum est notus, Obsianum lapidem instrumentis faciendis aptum facile inveniunt in vulcanis. Litus piscium non est vere ferax, sed hi periti nautæ lintribus altum petunt ad harpagonem delphinis iniciendum, quorum carnis magnam copiam comedunt. ¶ His prosperis vitæ condicionibus fruens, colonia celeriter crescit. Aves terrestres tam facile capiuntur, ut earum sex species paulatim exstinguantur. Nidi tam accessibiles sunt, ut, ovis raptis, aves maritimæ desinant ibi nidificare ; non solum homines ova rapiunt, sed etiam rati, quorum numerus æque ac hominum continuo augetur. ¶ Ut mos est ubique Polynesiæ, populus regitur ab aristocratia. Optimatum magnæ domus prope litus exstruuntur ; præ singulis domibus munitur crassum stratum lapideum, ubi eriguntur complures ingentes statuæ in formam Hermæ exsculptæ, quarum vultus ad domum spectat et tergum ad mare. ¶ Casæ plebeiæ in recessu ædificantur ; circa

singulas casas instruitur gallinarium, furnus, hortus holitorius muro lapideo circumdatus et puteus purgamentis proiciendis. ¶ Omnis insula, rotæ radiorum instar, dividitur in duodecim territoria gentilia, quorum singula possident usque ad quinque strata lapidea. Iuxta stratum exstruitur rogos ; nam, contra morem ceterorum Polynesianorum, Paschalenses mortuos cremant. Strata et statuæ sunt nullius utilitatis, sed tantum signa gentium potentiæ et divitiarum ; inter eas fit æmulatio, ita ut semper maiores statuæ exsculpantur. Unus dux omnes gentes regit et commercium inter eas moderatur, cum singulæ aliquid importare debeant ab aliis. ¶ Strata magnis lapidibus munire, statuas exsculperet et transportare est ingens opus hominibus, qui neque instrumenta metallina, neque animalia tractoria, neque rotas habent. Statuæ exsculpuntur in clivis maioris vulcani, nomine Rano Raraku ; earum minima est 4,5 metra alta, maxima 21 ; earum pondus est inter 10 et 270 tonnas. Iter a situ sculpturæ ad diversa strata est circiter 14 chiliometrorum. Experimento nuper facto demonstratur 70 viros, qui statuum 12 tonnarum in rotundis caudicibus positam trahunt, hoc iter intra unam septimanam emetiri posse. Optimates clientes habent, quorum alii his operibus operam dant, alii agros colunt. ¶ Dum hæc aguntur, silvæ coartari non desinunt. Incolæ egent materia ad domos et lintres construendas et ligno ad focos, furnos et rogos alendos. Insuper, incolarum numero crescente, arbores cæduntur ad agros dilatandos. Arbores ad lintres conficiendas aptæ satis mature disparent, ita ut nautæ in altum ire et delphinos capere iam non possint. ¶ Singularis Paschalensium cultus civilis amplius sex sæcula manet, sed sexto decimo sæculo nulla iam superest silva ; ad ignem faciendum herbæ sunt adhibendæ. Agrorum fertilitas minuitur propter soli erosionem. Opibus magis magisque deficientibus, populus, qui amplius 15 milibus hominum frequens fuit, propter famem minuitur ; æmulatio gentium fit bellicosa et

anthropophagia apparet. Optimatum tamen superbia non minuitur ; maximæ enim statuæ tunc eriguntur. ¶ Circa annum 1680 populus fame laborans atque ab optimatibus sacerdotibusque nimis diu deceptus eorum regimen evertit. Tunc statuæ dei et frangi cœptæ sunt ; multæ etiam manent imperfectæ in vulcani Rano Raraku clivis, aliæ in itinere relinquuntur. Instrumenta ubique iacent, tamquam si subito omnes operarii laborem reliquissent. Novum tamen ducum militarium regimen prosperitatem non restituit ; immo oriuntur bella civilia, quæ generalem miseriam augent. ¶ Cum Iacobus Roggeveen die Paschali 5 mensis Aprilis anno 1722 ad insulam appellit, tantum pauca milia indigenæ supersunt. Nulla arbor adspicitur. Nonnullas minimas scaphas videt, quæ vix binos homines accipere possunt ; earum carina facta est parvis tabulis tam male consutis, ut nautæ aquam continue exhaurire debeant. His perspectis, Roggeveen non intellegit quomodo incolæ insulam tam remotam attingere potuerint ; neque sibi fingere potest tam miserabiles homines tot ingentes statuas confecisse atque erexisse. ¶ Cum semisæculo post, anno 1774, Anglus capitaneus Cook ad insulam appellit, quattuor dies ibi degit speculatoresque quocumque mittit. Describit Paschalenses ut homines timidos, pavidos, macros et miserabiles ; plerique vivunt in speluncis. Multæ statuæ iam sunt eversæ, sed nondum omnes. ¶ Historia microcosmi insulæ Paschalis est mirum exemplum cladis œcologicæ, qua ipsi homines sunt noxii. Estne futurum macrocosmi nostri planetæ ? ❧

Gaius LICOPPE

1. *Le Soir*, 2 m. Martii 2007 : « Comment les Belges épuisent la planète ».

NOVA EPISTVLA DE TOLERANTIA

– scripsit Lucas Willemarck –

Post Gai scriptum de deo capto editum, nonnullis lectoribus varia argumenta opponentibus, quæstio tolerantia in utramque partem disputanda videtur, ut, sicut proposuit Gaius, cedant armi intelligentia. Historiam rite respicienti utile est a Romanis initium capere, ubi, variis deorum cultis æque acceptis, Ciceroni de omnibus philosophorum cogitationibus libere disputare licebat, sicut eius e libro de natura deorum patet, quippe qui sententias tum Stoicorum tum Epicureorum Scepticorumve protulerit. Postquam vero Constantinus imperator ineunte quarto sæculo creatus fuerat, christianismo victore, cum deus deo lupus factus esset, tolerantia temporis causa gradatim minuebatur, donec scriptores decursu temporis detererentur quominus sententiam profferrent atque opera contradictorum tandem comburerentur.

Per totum medium ævum usque ad duodevicesimum sæculum extremum tanta religionis christianæ et rei publicæ erat cohærentia ut suas cuique cogitationes litteris libere mandare nequaquam liceret, nisi vero existimabat verba ecclesiæ doctrinæ contradicere non posse. Qui hæc præcepta non diligentissime observasset in periculo capitis vocabatur ne hæreseos causa in rogum imponeretur. Quæ cum ita se habuerint, eo mirabilius est eisdem temporibus christianos in multis veteris imperii Turcorum partibus quadam fructos esse tolerantia, quod nostra autem ætate mahometani multis in regionibus iura cultus divini christiani respuunt.

Sexto vero decimo sæculo tempore Lutheri civitates Europææ religiosis bellis direptæ pacari non potuerunt nisi regimine pacis Augustoburgensis (1555) quod principibus potestatem dedit suæ religionis suo populo imponendæ, ut singulis ius recusaretur suæ fidei libere eligendæ. Septimo tamen decimo sæculo in re publica Batavorum ortum est regimen tolerantia ubi catholici, protestantes variorum generum atque Iudæi sine contumelia hominibus alienæ religionis facta in eadem civitate una pacifice vivere valebant.

Cum res publica Batavorum liberæ mercaturæ gratia maxime florisset, omnibus demonstrabatur tolerantiam non solum neque tumultus religiosos neque civitatis perturbationem movere sed etiam res secundas prosperamque fortunam fovere. Illud autem est admiratione dignum quod Batavi Anglos præcesserunt re exercita sicut eo ostenditur, quod epistula de tolerantia celeberrimi illius philosophi Anglici J. Locke non Londinii sed Goudæ in lucem est edita in urbe libera Batavorum. Qui philosophus illa in epistula multa profert argumenta quibus tolerantia nititur. Primum tolerantia subest hæc ratio quod religio vi coercita non facit veros Christifideles sed solum simulata mente

fidem falso proferentes. Si quis rem publicam cum religione comparaverit facere non potest quin animadvertat suam utrique esse utilitatem, quod religionis et ecclesiæ suprema lex in animarum salute posita est, quam ut consequaris neque re publica neque eius vi opus est, sed solum persuasionem et fide, rei publicæ contra finis ultimus in iuribus positus est, quibus nixi cives libertatem, se suaque ab usurpatoribus etiam vi adhibenda defendunt.

Ut salus animarum rei publicæ nulli est curæ, neque ei potestas est veræ religionis a falsa distinguendæ, ita rei publicæ vires opesque ecclesiæ neque curæ neque emolumento tribuendæ sunt. Præterea licet tanta sit diversitas religionum ut non omnes veræ haberi possint, iura tamen civium semper tuenda sunt, quod hoc primum rei publicæ officium est. Quo officio præ oculis habito Locke rei publicæ ope consilioque imprimis ius libertatis civium promovere volebat, quorum iura finire non licet nisi ad iura aliorum civium tuenda. Quam ob rem philosophus Anglicus ad novum regimen ortum ex rei publicæ eversione gloriosa dicta protegendum censebat rem publicam a quibusdam opinionibus fidei publicæ contrariis prohibendam esse. Qua de causa suo tempore catholicos indignos habebat qui tolerantiam impetrarent, quod isti fidem publicam tueri non valerent, quippe quam iam summo pontifici Romano dedissent.

Duodevicesimo sæculo Voltaire pro certo habet solum religionem quæ non sit fanatica, tolerantiam mereri, quippe quæ errorem tegat at contra scelera in societatem humanam non purget. Undevicesimo sæculo alius præstantissimus philosophus Anglicus J.S. Mill strenuus libertatis defensor tolerantiam non solum ad religiones sed etiam ad opiniones politicas atque ad gentes humano cultu civile inter se differentes pertinere professus est. In celeberrimo illo libro de libertate scripto nullam esse rationem eam finiendi adfirmat nisi periculum sit ne libertas alterius hominis lædatur.

Nostra tandem ætate principia a J.S. Mill prolata mea sententia adhuc valent, etsi exceptio periculi alios lædendi fortasse accuratius latiusque circumscribenda est. His diebus tot tantæque discordia ortæ sunt inter gentes cultu civili et religione differentes, quas qui sedare voluerit tolerantia nitatur oportet. Ad bellum omnium contra omnes tum intra civitates tum inter gentes pacandum rationes quædam adhibendæ sunt, ut tolerantia inter singulos cives augeatur, una cum tolerantia rei publicæ quoque erga cives discordantes. Remedium discordantis patriæ partim ab intelligentia civium singulorum pendet, eorumque scientia veritatis

fideique interpretandæ, quæ quidem perfecta non sit nisi illud perspectum habeas quod rei publicæ nulla potestas nullaque peritia est neque veritatis cuiusvis artis probandæ neque veræ religionis a falsa distinguendæ.

Ecclesia autem catholica tandem, secundo concilio Vaticano habito, declarationem de libertate religiosa edidit, qua nemini licere hominem invitum ad religionem colendam cogere agnoscitur. Propter maximam opinionum diversitatem tum in rebus politicis, tum in religionibus, tum in moribus semper difficile erit consensum omnium impetrare. Quam ob rem ad concordiam civium servandam tolerantia opus est. Quod cum ita sit non tamen quidvis tolerari potest quia libertas civium officio neminem lædendi obstrigitur. Sunt enim quædam opiniones religiosæ alteriusve naturæ quæ propter libertatem aliorum sine sufficienti ratione finitam probandæ non sunt, quod non bonis rationibus fultæ sunt. Excipienti enim, qui nescio cuius rei causa libertati modum statuere voluerit, incumbit probatio exceptionis necessariæ. Argumenta vero non erga omnes valent, nisi rationalia sint neque ab ullo recusari possint qui facultate ratiocinandi ad ipsam naturam humanam pertinenti libere utatur. Quod si consensum de sentiendiis inter se pugnantibus ratione sufficienti fultum impetrare debeas, necesse est contraria argumenta in utramque partem publice atque rationaliter disputare.

Ea de causa tolerantia solum valet hac condicione, quod suis cuique iudiciis uti licet, dummodo rationalia et publica sint. Hac autem condicione probata, sequitur aliam religionem opinionemve alii eo magis anteposendam esse, quo latior libertas singulis civibus suo ipsorum iudicio utendi tribuitur. Ut Voltaire tolerantiam religionibus fanaticis denegavit, ita nobis tolerantia tantummodo religioni vel opinioni tribuenda videtur quæ ipsa tolerabilis sit, quod nulla est libertas libertatis insectatoribus. Quamquam unicuique civi licet libere religionem vel partes politicas eligere, re publica nulli præter alias favente, non dubitandum est quin non omnes æque sint æstimandæ, quod aliæ aliis inimiciores sunt libertati. Si ita res se habent, regentibus rei publicæ neque iustum neque æquum videtur omnibus temporibus nemini favere, quia primum eis est officium civium libertatem non ultra necessitatem contrahere. Qua de causa, sive de religionibus sive de partibus politicis fanaticis agitur, causa libertatis civium augendæ et servandæ mihi multo maioris momenti videtur quam officium naturale rei publicæ impositum neutri favendi neque in rebus politicis neque in rebus religiosis.

Principiis tolerantia expositis, Gaio omnino adsentior rationalem dialogum cum mahumetanis instituentum esse ut convictus hominum diversorum cultuum atque religionum in eadem societate laica quam humanissimus fiat. Noster autem cultus occidentalis, cum vere laicus factus sit, separata re publica a religione probata, oportet unicuique civi licere, argumentis prolatis, fundamenta religionum modo criticorum versute ac sollerter investigare, salvo tantum personæ respectu. Mores democratici exposcunt ut dialogi inter homines opinione differentes libere instituantur, nullius potentia neque auctoritate invita participibus imposita, sicut Habermas ille philosophus docet.

Hunc in modum optima educatio servanda est ad periculum vitandum ne religio mahumetana adulescentium habitum eorumque vitam sociale vel strictissime regat. Timendum vero ne populus coactus minime cultui moribusque nostris congruat. Eventu effectoque Mahumeti grillorum confirmatur periculum ne libertas civium vi adhibita iniuste immeritoque lædatur neque vanum neque inane esse, sicut patet in exhibitionibus melodramatis Idomenei Berolini nuperrime suppressis. Qua de causa libertas preli strenue defendenda est præsertim quod abusus a iudicibus sanciantur si cuius fama iniuriose læsa sit. Quod vero mahumetani odio cultus civilis occidentalis moventur, hic habitus animorum maximam partem explicari etsi non probari potest eo quod Americani bellum iniustum in medio oriente gesserunt atque iura populi Palæstinæ inique neglexerunt.

In fine non dubito quin verba Cardinalis Danneels a Gaio allata probaturus sim, ubi dixit quæstionem Islami Europæi vitari non posse atque urgere, quod quædam islamica forma cum mente Europæa congruere non possit. Recte addidit unam esse viam ad scopum optimi convictus adipiscendum, ante omnia educationem. ❧

FELIX FABRI PEREGRINATOR AD HIERUSALEM INTER MEDIUM ÆVVM ET ÆTATEM MODERNAM (I)

– scripsit Ælius Nestola –

Amplissimam narrationem lingua Latina scripsit, **A**vergente sæculo decimo quinto, Frater Felix Fabri (qui sic latinizavit suum nomen Schmidt), Germanus Basileæ natus, dominicanus commorans in conventu Ulmensi, postquam a peregrinatione Hierosolymitana rediit.

Annis 1480 et 1483 frater Fabri duas peregrinationes fecit in Terram Sanctam. Annis insequentibus, omnia narravit de altera peregrinatione anno 1483 facta a portu Venetiarum, aut potius a monasterio Ulmensi, ad Terram Sanctam, a Terra Sancta per Arabicas solitudines ad montem Sinai, et reditum domum per Ægyptum ab urbe Alexandria.



Manuscriptum, in urbe Ulma servatum, quod inscribitur *Evagatorium in Terræ Sanctæ, Arabiæ, et Ægypti peregrinationem*, integrum editum Stuttgartiæ anno 1848 a Cunrado Dieterico Hassler, constat ex mille et quingentis paginis, in tria volumina divisus.¹

Est lectio attractiva, iucunda ac congruens cum nostro moderno itinerandi modo. Ipse titulus *Evagatorium* videtur felix neologismus auctoris, qui tali verbo voluit appellare suam peregrinationem ad Loca Sancta, sicut in epistula dedicatoria ad fratres Ulmenses explanat: « Decrevi hunc librum non Peregrinatorium, nec Itinerarium, nec Viagium, nec alio quovis nomine intulere, sed Evagatorium Fratris Felicis iuste dici, nominari, et esse statui. »

Sic autem pergit ad fratres conventus Ulmensis: « Vobis eum tribuo ut tempore remissionis fructuosioris studii et vacantiarum diebus, pro vitando otio et recreatione sumenda, cum hilari iucunditate eum legatis. Spero autem, quod inutilis non erit huius Evagatorii lectio, cum etiam res prorsus fabulosas et fictiones poeticas ad profectum salutis vestræ sciatis retorquere. Ideo audentius inter magna et vera, sancta


et seriosa, nonnumquam inserui puerilia, apocrypha, et facetica, cum intentione tamen numquam falsa, aut mendacia, aut irrationabilia, aut sacræ scripturæ contraria, vel bonis moribus non convenientia. Quin immo non mediocrem intellectum sacræ scripturæ et multarum ambiguitatum dabit huius evagatorii lectio, et animum admirantem et mentem curiosam in multis quietabit. »

Igitur hoc opus manifeste habet tria proposita: lectorem vult docere, recreare et circumducere. Ceterum unusquisque leget *Evagatorium* iuxta sua desideria suamque indolem: lector inveniet quod volet invenire: in primis magnam pietatem, cultum reliquiarum, scientiam mediævalem, sed etiam superstitiones, mores hominum, geographiam phantasticam (velut locum creationis Adami prope oppidum Hebron) aut veram (ut descriptionem Venetiarum), pericula in mari ac in terris, vitam communem in galea, controversias religiosas, historias hominum et humanitatis.

Itinere peracto, Felix Fabri, homo mediævialis doctrina et moribus, nobis transmittere vult hanc pulcherrimam cogitationem de sua peregrinatione: « Hanc experientiam optimam homo accipit, quod in hac peregrinatione homo incipit se ipsum ex intimis cognoscere, suam sapientiam et imprudentiam, suas varias affectiones et passiones, suas inclinationes et abominationes, suas virtutes et vitia. Pro certo dico, quod in quadraginta septimanis homo in hac peregrinatione magis se ipsum agnoscit, quam alias in quadraginta annis. Fateor, numquam meas imperfectiones et miseriae melius et clarius vidi, quam in illa evagatione, et præcipue in galea super mare, et sub tentorio in deserto, in his enim locis nihil manet in homine occultum. »

Breviter ex tam ingenti eventorum et notitiarum copia decerpam nonnullos casus huius miræ peregrinationis.

« De Suevia et Bavaria » Venetias, sub finem mensis Aprilis anno 1483, transit grex peregrinorum, constans e duodecim hominibus: quattuor enim domini nobiles (Iohannes de Cymbern, Hainricus de Stoeffel, Iohannes Truchsas de Waldpurg, Ber de Rechberg), secum habebant ut famulos barbitonsorem, dulcem et ad musicam promptum; armigerum, qui pluribus bellis interfuit; cocum dominorum et totius societatis, simplicem et bonum socium, patientem in adversis; interpretem, quondam nautam, multarum miseriarum expertum; provisorem et procuratorem dominorum, virum honestum et providum; quendam virum maturum et multorum expertum, cuius consiliis domini omnes fovebantur et regebantur; eum ut patrem habebant; quendam virum pacificum, pro dominis sollicitum, puerorum instructorem et magistrum; fratrem



Prospectus Venetiarum (ex imaginibus textus Bernardi von Breydenbach).

Felicem, sacerdotem Ordinis Prædicatorum Ulmensem, dominorum et omnium iam dictorum capellanum. Qui « duodecim inseparabiliter cohærebant, et communibus expensis quattuor dominorum vivebant ».

Sed ante galeæ profectionem, quæ futura est die iuxta morem et Venetas leges constituta, nostri peregrini Venetiis longum mensem degunt in hospitio mercatorum Germanorum, prope pontem Rivoalti, quo tempore (« quia circumdati aquis sumus ita ut non pateat nobis pro nostro solatio et pro deductione temporis exitus ad floridos hortos aut ad amœnos campos, nec venationibus vacare possumus, nec hastiludiis aut choreis interesse decet ») omni die visitant omnes ecclesias ad sacras reliquias videndas et deosculandas, quas noster scriptor minutatim describit.



Nec prætermittunt Ducem Venetorum (qui tunc temporis erat Iohannes Mocenigo) adire cum litteris, quas archidux Austriæ Sigismundus nobilibus peregrinis tradiderat illi præsentandas. His verbis frater Felix describit audientiam : « Ascendimus per lapideos gradus ad ambitum palatii, et ante

Prætorium stantes intromitti ad Senatum et audientiam postulavimus. Statim autem intromissi sumus in locum Consulum, et ante Ducem et Senatores constituti. Dominus ergo Iohannes de Cymbern Baro, manu elevans Archiducis Austriæ litteras, et disciplina curialissima accessit in medium, et ad Ducem Venetorum accessit, eique eas curiali reverentia tradidit et retro gradu descendit. Dux vero respiciens sigillum cum cognovisset, deosculatus est sigillum ipsum, et fecit

legi litteram in omnium audientia. Qua audita surrexit Dux, et per interpretem obtulit se ad omnia beneplacita Dominorum peregrinorum, et vocatis ad se singulis, eis manum præbuit et ad se trahens osculum modo Italico dedit. Hoc facto petierunt Domini peregrini promotoriales litteras ad Capitaneum maris generalem, et ad insularum præfectos, ut, si necessitas exigeret, invocare prædictos possent. Et statim impetraverunt. »

Tandem, die primo mensis Iunii anno 1483, a portu Venetiarum Terram Sanctam velis petitura est magna galea, cuius patronus erat Petrus Lando. Navem conscenderat, inter alios greges vel « societates » peregrinorum, societas « de Suevia et Bavaria ». In toto navem conscenderunt circiter ducenti peregrini e tota Europa oriundi.

Notandum est hanc peregrinationem memorabilem etiam fuisse ob præsentiam aliorum chronographorum : aderant enim Bernhardus von Breydenbach, canonicus Maguntinus, et Paulus Waltherius von Guglingen. Illi suas ediderunt itinerarias relationes, quibuscum textus Felicis Fabri conferri potest.

Immo, Bernhardus von Breydenbach voluit secum habere Henricum Reuwich, Flandrum ex urbe Traiecto (*Utrecht*) oriundum et delineandi peritum, ut postea editio sui textus picturis locorum lustratorum illustraretur. Quod opus illustratum magnum lectorum favorem obtinuit.²

Cum iam omnes in galea essent, galeotæ ad hoc deputati ornaverunt galeam, suspendentes vexilla. Felix Fabri, qui Venetiarum armamentarium inviserat, diligentissime describit galeam, qualis et quanta sit. Paginæ de hoc argumento sunt maximi momenti, cum historici artis navalis utantur descriptione fratris Fabri ut exemplum galeæ restituant. Adiungit auctor capitula de iure navali illius temporis. Sed vere attractiva, ne dicam aliquando comica, sunt capitula ubi describuntur mores et indoles nautarum et peregrinorum in galea : quomodo homines tempus degant in galea, de modo manducandi peregrinorum, de inquieta dormitione peregrinorum in navi, difficultas in opere naturæ eundi ad secessum in galea, et remedia, et de quibusdam aliis gravaminibus, et in fine incommoda, a quibus se debet peregrinus custodire et cavere in mari navigans.

Nunc sequamur peregrinos in occasionibus maioris momenti, cum, ut res postulat, eorum commotio exortur et magis crescit : Venetiis, exempli gratia, cum galea vecti ad Terram Sanctam proficiscuntur, aut ante portum Ioppen (*Jaffa*) cum a galea discessuri suis oculis Terram optatissimam adspiciunt.

Tum, vetus cantus Germanorum peregrinorum, altus, sollemnis, per auras diffunditur, quem Latine

ipse frater Felix vertit :

*In Dei nomine navigamus,
cuius gratiam desideramus :
cuius virtus adiuvet nos
et Sanctum Sepulcrum protegat nos,
Kyrie eleison.*

Totum mensem Iunium galea navigat per mare Adriaticum et Mediterraneum orientale inter pericula tempestatum, minas Turcorum, appellens ad portus oppidorum Venetorum : Iadræ (Zaræ) in Dalmatiæ litore, Metonæ in Peloponneso, Candiæ, Rhodi, Cypri. Sed vitant portum Corcyræ (hodie *Corfu*) ob periculum pestis.

Ante Ioppen, primo die mensis Iulii, ut aurora rutulare cœpit, speculator in *keba* (cista in alto malo) vigilans prorupit in hunc clamorem : « O Domini peregrini surgite et ascendite, ecce apparet terra, quam cupitis videre. » « Cumque iam nullum dubium esset quin terram sanctam videremus, et montes Israel præ oculis haberemus, duo de peregrinis sacerdotes et religiosi bene vociferati canticum Ambrosii et Augustini inchoaverunt : *Te Deum laudamus*, quod ceteri clerici prosecuti sunt, cantantes unusquisque secundum notas chori sui. Numquam audivi tam lætum et suavem cantum. Ibi erant clerici latini multi, sclavoni, italici, lombardi, gallici, franci, theutonici, anglici, hibernici, ungari, scoti, daci, bohemi et hispani et hi omnes mirabile *Te Deum* cantabant quibus etiam sæculares tam galeotæ quam peregrini consonabant. »

E galea egressi, peregrini, genibus flexis, lacrimas effundentes, osculantur Terram benedictam.

Accepti sunt in portu Ioppen a priore conventus montis Sion fratrum franciscanorum (quibus solis ab anno 1333 concedebatur peregrinos occidentales in hospitium recipere et per Terram Sanctam ducere) et a ducibus et armigeris Saracenis. Grex Sueborum et Bavarorum, una cum aliis peregrinorum societatibus, asinis vecti, ab incolis Saracenis et prædonibus Arabibus valde vexati, per urbes Ioppen, Ramlam, petunt sancta Hierosolyma.

Duodecimo die mensis Iulii, « cum civitatem sanctam iam diu desideratam oculis nostris cerneremus, repente de asinis cecidimus prostrati in terram, ipsam sanctam civitatem devotissime salutavimus, regem ipsius Dominum Deum primo adorantes cum vexillo crucis, *Te Deum laudamus* omnes sacerdotes et religiosi inceperunt cantare, submissa tamen et humilis voce, ne ductores nostros Saracenos offenderemus, quibus iubilus noster altus et manifestus forte displicuisset. »

Sed sequamur narrationem fratris Felicis : « Cum ad



Portus Rhodi (ex imaginibus textus Bernardi von Breydenbach).

portam, quæ dicitur porta David, vel piscium vel negotiatorum, venissemus, per ipsam portam inclinatis capitibus ingressi sumus. Per vicum autem longum a porta processimus, et ad quandam magnam ecclesiam clausam venimus, ante quam erat atrium decorum magnum albissimo et polito marmore stratum. Cum autem in atrio staremus, quidam de fratribus montis Syon in eminentiorem locum se ponens pronuntiavit nobis, hanc esse ecclesiam sanctissimam toti mundo venerandam, in qua thesaurus Christianorum pretiosissimus, dominicum scilicet sepulcrum, est reconditum. Quod cum audivissemus, in ipso atrio ante fores ecclesiæ nos prostravimus, et adoravimus, et terram ipsam repetitis vicibus deosculati sumus. O frater mi, si in ista hora mecum in atrio illo fuisses, vidisses et audivisses tam exuberantes lacrimas, tam amaras et cordiales gemitus, tam dulces eiulatus, tam alta suspiria, tam profunda lamenta et ex intimis singultus, tam quietam et iucundam silentia, et si cor lapideum habuisses, liquefactum fuisset. »

Sed tantum quarto decimo die, die Lunæ, cum sol ad occasum tendat, iussu Saracenorum, peregrini ecclesiam Sancti Sepulcri intrare possunt. « Domini Mauri, sive Saraceni, sanctæ ecclesiæ claviculari, ad ecclesiæ apertionem pertinentes, ad ostium templi sancti, se locaverunt mature et seriose : erant autem viri personati, senes, decori, barbati et pomposi, byssinis induti, et capitibus multiplici circumvolutione subtilissimi lini operti. Congregatis autem nobis omnibus ad eos, fores ecclesiæ aperuerunt clavibus, et stantes binos et binos intromiserunt, numerantes nos, et acutissime nos aspiciabant. Dicitur enim de eis, quod peritissimi in illa arte Visionariæ sint, et quam cito hominem inspicunt, suas condiciones, complexionem et inclinationem agnoscunt. Plures enim de aliis ritibus Christianos nobiscum ingredi volentes repulerunt cum baculis et pugnis ab ostio ecclesiæ. »

Degunt peregrini totam noctem in ecclesia et matutino tempore sacerdotes et religiosi celebrant plures missas, quando, finitis officiis et missis, venerunt Domini Mauri pagani, et ianuas ecclesiæ patefecerunt.

In secunda visitatione Sancti Sepulcri, alta nocte fit ritus creationis militum Sancti Sepulcri. In interiore specu Sancti Sepulcri, genibus flexis, unusquisque novus miles a Patre montis Sion gladio percutitur super scapulas tribus vicibus.

In tertia et ultima visitatione Sancti Sepulcri, ut faciunt multi hodierni periegetæ, quidam nobiles « acutissimis instrumentis ferreis et malleolis sua nomina parietibus templi et columnis occulte insculpebant, et arma suæ nobilitatis depingebant. Oportebat autem eos hoc occulte facere, quia, si custos sanctæ rupis vidisset, cum crinibus eos detraxisset. »

Hoc scandalizat fratrem Felicem qui severe iudicat « quosdam vanos nobiles, ad tantam fatuitatem deductos ut aculeis sua nomina, scuta et signa infigerent, Dei timorem et reverentiam postponentes ut memoria insanix et vanitatis eorum non deleatur. » Et adiungit hæc : « Soli nostri teutonici nobiles hac vanitate utuntur, ac si mundus non haberet nobiles, nisi ipsos. »

Visitatis omnibus locis biblicis et christianis in tota Terra Sancta, peregrini pergunt ad urbem Gazam, ubi, inter balneationes (cum fricatione) et emptiones varias, decernunt ad monasterium Sanctæ Catharinæ et montem Sinai ascendere. Solum viginti peregrini, inter quos frater Felix, audent obire, tentoriis præditi, novum periculosum iter quattuordecim dierum per solitudines pæninsulæ Sinai, usque ad monasterium Sanctæ Catharinæ. A Gaza proficiscitur grex varius 40 hominum et 55 animalium : 25 cameli, 30 asini, 7 came-

larii, 6 asinari, 7 ductores Saraceni et Arabes, 20 peregrini.

Eos exspectant prædones Arabes, eis minantur calidissima tempestas interdiu, frigidissima noctu, inopia aquæ, ventorum procellæ, viarum asperitas. In talibus condicionibus atramentum et penna cum papyro ad scribendum non sufficiunt nostro chronographo, qui narrat : « A Gaza scripseram enim sedens in asino dispositiones et habitudines regionum et viarum in tabula de cera, quam cingulo portavi et totum in libello rescripsi et de cera delevi, ut consequenter alia scriberem. Sæpissime descendi de asino et itinera, montes et valles descripsi, quia non esset possibile mente retineri singula. » ❧

(continuabitur)

1. Infeliciter iam divendita est moderna editio Francogallica : Félix Fabri, *Les errances de Frère Félix, pèlerin en terre sainte, en Arabie et en Égypte (1480-1483)*, t. 1, Premier et deuxième traités, t. 2, Troisième et quatrième traités, trad. J. Meyers et N. Chareyron, Montpellier, Université Paul-Valéry, 2000-2002.

2. Bernhard von Breydenbach, *Peregrinationes. Un viaggiatore del Quattrocento a Gerusalemme e in Egitto*. Ristampa anastatica dell'incunabulo. Traduzione italiana e note di G. Bartolini e G. Caporali. Prefazione di M. Miglio. Saggio introduttivo di G. Bartolini, Vecchiarelli editore - Roma nel Rinascimento, Roma 1999.

DOCUMENTA QVÆDAM ACADEMICA

ANNI 2007

– quæ proposuit Theodericus Sacré –

1. Duo diplomata dr. h.c. in studiorum universitate Flandro-Lovaniensi creatorum

La vita è bella,
mais pas tout à fait



Roberto Benigni reste Roberto Benigni. Même quand il est fait docteur honoris causa. Et ce fut le cas ce vendredi à l'Université catholique flamande de Louvain (KUL). Rehaussée de la présence d'Umberto Eco, la séance a également distingué l'écrivain israélien David Grossman, l'architecte hollandais Rem Koolhaas et le violoniste belge Sigiswald Kuijken. L'acteur italien (à gauche, ci-dessus) a été mis à l'honneur pour son travail manifestant une

profonde humanité et une sensibilité envers les personnes vulnérables. Comme à son habitude, l'éternel Pinocchio a transformé la cérémonie en spectacle comique, avec embrassades à la cantonade. Mais il a conclu son intervention sur un mode nettement plus sérieux. Faisant référence à des textes de Dante, il a dénoncé l'indifférence du monde actuel et le fait que beaucoup ne font plus la différence entre le bien et le mal.

Wipole

« *Robertus Benigni manet Robertus Benigni, etiam si creatur doctor honoris causa* » (e diario «*Le Soir*», 3 feb. 2007).

MARCVS VERVENNE, FACVLTATIS THEOLOGIAE PROFESSOR ORDINARIVS, THEOLOGIAE DOCTOR, PHILOGOGIAE BIBLICAE NECNON PHILOGOGIAE ET HISTORIAE ORIENTALIS BACCALAVREVS, STVDIORVM VNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS IN VRBE LOVANIENSI RECTOR, OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR ROBERTVS BENIGNI, CINEMATOGGRAPHICARVM FABVLARVM ARTIFEX VARIVS ATQVE EGREGIVS IDEMQVE RECITATOR ET HISTRIO MINIME IGNOBILIS, DOCTOR PSYCHOLOGIAE HONORIS CAUSA APVD STVDIORVM VNIVERSITATEM SANCTI RAPHAELIS MEDIOLANENSEM, DOCTOR LITTERARVM HONORIS CAUSA IN STVDIORVM VNIVERSITATE BONONIENSI, DOCTOR PHILOSOPHIAE HONORIS CAUSA APVD STVDIORVM VNIVERSITATEM ISRAELIANAM A BENIAMINO GURION NVNCVPATAM, MVLTI PRAEMIIS ET HONORIBVS DISTINCTVS, IN QVIBVS EMINENT PRAEMIUM ANSGARIANVM HISTRIONIBVS VALIDISSIMIS DESTINATVM NECNON PALMVLA AVREA CANOENSIS PELLICVLIS EXCELLENTISSIMIS DELATA, DE ARTE CINEMATOGGRAPHICA OPTIME SIT MERITVS, QVIPPE QVI NON SOLVM HISTRIO, VERVM ETIAM ARTIFEX SCAENARVM ET SCAENOGGRAPHICI APPARATVS IVSTO IVRE CLAREAT, QVIQVE CVM AD MVLTIAS PELLICVLAS OPERAM FELICITER INSVMPSERIT, TVM EAM TAENIOLAM CINEMATOGGRAPHICAM PARAVERIT

TOTVM PER ORBEM INGENTI CVM SPECTATORVM ADMIRATIONE OSTENTATAM, CVI « VITA EST BELLA » EST INDEX QVAQVE HOLOCAVSTI MONSTRVM INFANDVM PER TRAGICOMOEDIAM, RISV CVM LACRIMIS COMMIXTO, OB OCVLOS PONITVR ATQVE ID QVIDEM ITA, NEMO VT ID HAC AETATE COMMOVENTIVS REPRAESENTASSE CREDATVR ;

CVM INTERPRETANDA ET RECITANDA POESI TVSCA ITA PRAESTET, VT NVMEROSITAS ET HARMONIA POETICA QVAE VERSIBVS DIVINAE ILLIVS COMOEDIAE INEST, IPSO RECITANTE NEMINEM NON CAPIAT ITAQVE EFFICIAT IPSE VT DANTIS OPVS DIVINVM VIRERE PERGAT ET VIGERE ;

CVM ARTIBVS DEDITVS ETHICAS ET CIVILES VIRTVTES SIGNIFICANTER EXPRIMAT EXPRIMENDOQVE PROMOVEAT, RATIONE NVMQVAM NON HABITA HVMANITATIS ATQVE HOMINVM QVOTQVOT INFIMIS SINT LOCIS NATI ;

CVM ANIMI CVLTVRA ET ARTIVM TRACTATIO QVANTI SINT HAC PRAESERTIM AETATE MOMENTI OSTENDAT, QVA SIT TIMOR NE NIMIA AEQVATIO MORTALES CVNCTOS AD GREGEM QVASI QVENDAM REDIGAT, NE ANIMI TORPOR GLISCAT IN DIES, NE SERPAT PER OMNIVM VITAS APATHIA QVAEDAM ;

CVM FESTIVITATE MIMICA ANTISTET, FACETIIS, SALIBVS IOCISQVE AFFLVAT, QVAE RADICIBVS INNIXA ET TVSCIS ET POPVLARIBVS A VVLGARI OBSCENITATE SVNT LIBERA, NECNON PER VARIAS RIDICVLI FORMAS INDICET LIBERATOREM QVASI QVENDAM ESSE RISVM, RIDENDO VERA POSSE DICI, RISVM CVM MVNERE QVODAM MORALI ESSE CONIVNCTVM,

NOS PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ADSENTIENTE EVNDEM EXIMIVM VIRVM

AB OBLIVIONE VINDICENTVR

ROBERTVM BENIGNI

DOCTOREM HONORIS CAUSA CREAMIMVS ET RENVNTIATIVMVS.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.

LOVANII, ANNO A PARTV VIRGINIS MMVII POSTRIDIE KALENDAS FEBRVARIAS.

MARCVS VERVENNE, RECTOR



MARCVS VERVENNE, FACVLTATIS THEOLOGIAE PROFESSOR ORDINARIVS, THEOLOGIAE DOCTOR, PHILOLOGIAE BIBLICAE NECNON PHILOLOGIAE ET HISTORIAE ORIENTALIS BACCALAVREVS, STDIORVM VNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS IN VRBE LOVANIENSI RECTOR, OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR DAVID GROSSMAN, PHILOSOPHIAE MAGISTERII LAVREA ET SCAENICARVM DISCIPLINARVM IN HEBRAEA STDIORVM VNIVERSITATE, QVAE EST HIEROSOLYMIS, POST STDIA FELICITER ABSOLVTA DONATVS, PRAECLARVS LITTERARVM AVCTOR NEMINI FERE DE ISRAELIANIS IN HOC GENERE SECVNDVS, PRAEMIIS NEQVE PAVCIS NEQVE EXIGVIS HONESTATVS, MIRA LINGVAE AMORE ADDVCTVS PHILOLOGIAQVE SIBI QVASI INGENITA STIMVLATVS VARIA GENERA LITTERARIA EXCELLENTISSIME SCRIBENDO EXCOLAT, ET SCRIPTOR TRADITIS PARTIM POPVLI SVI MORIBVS NARRANDI OBTEMPERET, PARTIM RECENTIORES RATIONES LITTERARIAS SECVTVS NOVA ARTIFICIA, VELVTI VARIARVM VOCVM ARTEM, CALLIDE ATQVE EFFICACITER ADHIBeat ET FICTICIA VERIS OPTIME ATQVE EFFICIENTER ADMISCEAT ;

CVM TAM FABVLIS ROMANENSIBVS NARRATIONIBVSQVE BREVIORIBVS QVAM ScriptionIBVS IN ACTIS DIVRNI DIVVLGATIS ATQVE COMMENTATIONIBVS ET SCHEDIASMATICIS FORTITER, DIGNE, HONESTE REPVGNET QVIBVSVIS SECTATORIBVS EXTREMARVM PARTIVM, QVEMVIS FVROREM FANATICVM DESPICIAT REPELLENDVMQVE CENSEAT, ITAQVE OPINIONES VIRORVM IN RE PVBLICA CVM POTESTATE VERSANTIVM DILVCIDE ATQVE ENODATE PONDERET, EXAMINET SVBTILITER, IMMO ET VELLICET NONNVMQVAM, HAVD IGNARVS FIERI VT INNITANTVR EAE IPSAE AFFECTIBVS FALSIS, MORIBVS CYNICIS, MENTIBVS SVSPICIOSIORIBVS ;

CVM PRAEDITVS IPSE VSV RERVm, PRVDENTIA, SAPIENTIA, HVMANITATE SVMMA, ANIMI HVMANI DIGNITATEM SEMPER DEFENDAT ATVE ITA SENTIAT, PROPITIAM ERGA ALIOS VOLVNTATEM ESSE NOTITIAE SVBTILIORIS COMITEM, IDEOQVE, QVO MAGIS OBTINEAT CARITAS ET PAX INTER HOMINES SINGVLOS, GENTES, POPVLOS, OMNI OPE ENITENDVM ESSE SENTIAT VT INTER SE HOMINES PLANE INTELLEGANT, VT SINE PRAEIVDICATIS OPINIONIBVS PENITVS INTER SE COGNOSCANT DIVERSAE MENTIS DIVERSARVMQVE PARTIVM MORTALES, VT ALTER ALTERIVS ANIMVM ET CONSILIA INTERIORA SEDVLO PERSPICIAT ;

CVM IVSTITIAE ERGA OMNES SIVE PRIVATOS SIVE POPVLOS ET GENTES PRAECO SIT INDEFESSVS AC PROPVGNATOR STRENVVS,

NOS PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ADSENTIENTE EVNDEM EXIMIVM VIRVM

DAVIDEM GROSSMAN

DOCTOREM HONORIS CAUSA CREAMIMVS ET RENVNTIATIVMVS.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.

LOVANII, ANNO A PARTV VIRGINIS MMVII POSTRIDIE KALENDAS FEBRVARIAS.

MARCVS VERVENNE, RECTOR

AB OBLIVIONE VINDICENTVR

2. Diploma dr. h.c. in studiorum universitate catholica Bruxellensi creati

MARCVS VAN HOECKE, FACVLTATIS IVRIS PROFESSOR ORDINARIVS, IVRIS DOCTOR, PHILOSOPHIAE LICENTIATVS, RECTOR VNIVERSITATIS CATHOLICAE BRVXELLENSIS, OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR

ROBERTVS M. VNGER,

IVRIS DOCTOR, PROFESSOR IVRIS ORDINARIVS IN STVDIORVM VNIVERSITATE HARVARDENSI, VBI CATHEDRAM A ROSCOE POUND NVNCVPATAM TENET EXORNATQVE, PRAEFVLGENS INVESTIGATOR SINGVLARI ACVMINE PRAEDITVS, DOCTA LIBRORVM COMMENTATIONVMQVE COHORTE IVRIS SCIENTIAM ET EIVS PARTEM SPECTATIVAM PRAECLARE ILLVSTRAVERIT, PRODVXERIT, AVXERIT ;

CVM ANTESIGNANVS IPSE CVM ALIIS CONDIDERIT AC FVNDARIT MOTVM STVDIIS LEGVM CRITICIS FOVENDIS, CVIVS ASSECTATORES INTER LEGVM INTERPRETES PHILOTHEOROS PLVRIMVM POLLEBANT ETIAMVE POLLENT, ITAQVE LVCVLENTE OSTENDERIT VIX POSSE LEGES A COMPLEXV RERVM ATQVE HOMINVM SEPARATAS PER SE SPECTARI, VERVM COMPARATE ESSE CONSIDERANDAS, QVOD EIS TAMQVAM INSTRVMENTIS VTI SOLERENT LEGVMLATORES AD SVARVM PARTIVM COMMODA ATQVE VUTILITATES SIVE HONESTAS SEVE MINVS HONESTAS STABILIENTAS, SERVANDAS ATQVE AB ALIIS CIVIVM CLASSIBVS DEFENDENDAS ;

CVM EXTRA VNIVS IVRIS SCIENTIAE PRVDENTIAEQVE CANCELLOS LONGE EGRESSVS, DISCIPLINAS IVRI FINITIMAS, VELVTI OECONOMICAS, SOCIALES, POLITICAS, PHILOSOPHICAS, VUTILITER ATQVE EFFICACISSIME SVIS IPSE STVDIIS ATQVE INVESTIGATIONIBVS CONIVNGAT VIR ILLE MVLTIIVGI DOCTRINA PERITIAQVE INSTRVCTVS, OMNES CONTENDENS NERVOS QVO MAGIS CONSVLAT HVMANO GENERI, NIHIL SIBI ALIVD PROPONENS QVAM VT BONO PVBLICO SEMPER SVDET, EISQVE DE CAUSIS NON SOLVM ADVERSETVR DOMINATVI IMPERIOSO, QVI NVNC EST IN TOTA RERVM OECONOMICARVM ET POLITICARVM COMPAGINE QVOQVE A NAVITATIBVS OECONOMICO-POLITICIS DISIVNGANTVR HOMINES POPVLIQVE HAVD PAVCI, DEPRIMANTVR HI, EXTOLLANTVR ILLI, FORTVNIS PRIVENTVR HI, ABVNDENT ILLI, VERVM ETIAM, REBVS VSQVE AD FVNDAMENTA IPSA PERPENSATIS, ORDINATIONES ALIAS METHODICE PROPONAT, VT PAVLATIM FIANAT RES OECONOMICAE FORTIORES, NVLLO CIVIVM ORDINE EXCLVSO, VT CRESCANT GRADATIM VIRES DEMOCRATICAE, CIVITATVM AC SOCIETATVM INSTITVTIS PENITVS REFORMATIS, VTQVE IN MELIVS PASSIM VERTANTVR MISERIORES PERMVLTORVM HOMINVM CONDICIONES, MAGNIS FACTIS ET AEQVITATIS ACCESSIONIBVS ET AEQVILIBRITATIS ;

CVM PRVDENTIA RERVM, PERSPICACITATE, FERVENTI AGENDI COGITANDIQVE SOLLERTIA ITA PRAESTET, VT ET AB IIS, QVI AD RERVM PVBLICARVM GVBERNACVLA SEDEANT, SOLEAT ASCISCI ADIVTOR A CONSILIIS,

NOS, PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ASSENTIENTE, EVNDEM EXIMIVM VIRVM

ROBERTVM M. VNGER

DOCTOREM HONORIS CAUSA CREAMIVS ET RENVNTIIVM.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.

BRVXELLAE KALENDIS FEBRVARIIS ANNI A PARTV VIRGINIS MMVII.

MARCVS VAN HOECKE, RECTOR

CÆSAR CVM DIONE CASSIO COMPARATVS

BELLVM GALLICVM IV 7-15, II 30-33

– scripsit Godo Lieberg –

Anno quinquagesimo quinto a.Chr.n. in Belgica legati ab Usipetibus et Tentheris ad Cæsarem venerunt ab eo petentes *vel sibi agros adtribuunt vel patiantur tenere eos, quos armis possederint* (IV 7, 4). Cæsar respondit *licere... in Ubiorum finibus considerare; ... hoc se ab Ubiis impetraturum* (8, 3). *Legati hæc se ad suos relatores dixerunt et re deliberata post diem tertium ad Cæsarem reversuros* (9, 1)... *ut erat constitutum, ad eum legati revertuntur* (II, 1). *Petebant... sibi ut potestatem faceret in Ubios legatos mittendi* (II, 2). *Cæsar... sese non longius passuum quattuor aquationis causa processurum eo die dixit... ad præfectos, qui cum equitatu antecesserant... nuntiavit, ne hostes prælio lacerent* (II, 4 et 6).

Deinde Cæsar capite duodecimo inter alia hoc narrat: *At hostes, ubi primum nostros equites conspexerunt... nihil timentibus nostris, quod legati Germanorum paulo ante a Cæsare discesserant atque is dies indutiis erat ab his petitus, impetu facto celeriter nostros perturbaverunt... in eo prælio ex equitibus Cæsarianis interfecti sunt quattuor et septuaginta*. Indutiæ a Germanis non solum petiæ sunt, sed etiam obtentæ esse videntur, quia Cæsar refert (13, 4) postero die legatos ad se venisse... *sui purgandi causa, quod contra atque esset dictum et ipsi petissent, prælium pridie commisissent*. Verba autem *contra atque esset dictum* ad indutiæ etiam constitutas pertinent. Verbum enim dicendi in contextu narrationis non significare potest nisi statuere. Post igitur *dictum* ‘inter Cæsarem et Germanos’ subaudiendum est. Huic enuntiationi impersonali verba *ipsi petissent*, quæ ad Germanos solos spectant, opponuntur.¹

Capite tertio decimo Cæsarem decrevisse legimus *ne quem diem pugna cum Germanis, qui per dolum atque insidias petita pace ultro bellum intulissent... prætermitteret*. Eorum legatos ne audiendos quidem *arbitratur et retineri iussit*. Necopinato tum *milites Cæsaris in castra hostium irruerunt*. Nonnulli *paulisper Romanis restiterunt*. *At reliqua multitudo puerorum mulierumque... fugere cœpit*, sed Cæsar eos consecutus est (14). Quo facto etiam milites Germanici ad Rhenum fugerunt et ibi *magno numero interfecto reliqui in flumine perierunt*. Romani *omnes incolumes se... receperunt* (15).

Etiam Dio Cassius, rerum scriptor Græcus, qui sæculis secundo et tertio p.Chr.n. vixit, *Historiæ Romanæ* capite quadragesimo septimo libri undequadragesimi prælium a Cæsare cum Usipetibus et Tentheris commissum narrat, sed a Cæsare de impetu ab equitibus Germanicis in equites Cæsarianos facto dicente valde differt. Hæc enim sunt eius verba Latine reddita: « Postquam nihil a Cæsare assecuti sunt, primo sua sponte se domum, scilicet a Belgio in

Germaniam, redituros esse promiserunt et indutiæ petiverunt. Deinde autem, cum paucos milites eius (Cæsaris) appropinquantes viderunt, ii (ex equitibus Germanicis), qui ætate iuvenili erant, hos contempserunt et opinionem mutaverunt et, postquam in itinere substiterunt, illos (Cæsarianos), qui nihil timebant, male mulcaverunt (id est graviter afflixerunt). Propterea, superbia elati, bellum susceperunt. Eorum (Germanorum) maiores (id damnaverunt et eis invitit ad Cæsarem venerunt et culpam paucis (eis, qui impetum fecerant) attribuentes ab eo petiverunt, ut sibi ignosceret. »

Deinde de impetu Romanorum in hostes facto multo brevius quam apud Cæsarem narratur. Dio solum affirmat milites Romanos necopinato in tentoria hostium inrupisse et eos trucidavisse. Nec varias turmas eorum distinguit nec fugam et interitum Germanorum refert.

Neminem fugere potest Dionem non solum brevius quam Cæsarem narrare, sed etiam re ab eo valde discrepare. Discrepantia imprimis spectat ad impetum a Germanis in Cæsarianos factum. Apud Cæsarem *hostes impetum in Cæsaris equites (nostros equites, 12, 1) fecerunt*, apud Dionem autem pauci (ὀλίγους) iuvenes Germanorum (οἱ ἐν τῇ ἡλικίᾳ σφῶν ὄντες). Cæsar non explicat, cur hostes equites suos adorti sint. Immo vero eius verba legentibus mirandum est id accidisse. Referre enim non omittit *is dies indutiis erat ab his (Germanis) petitus*. Apud Dionem autem bene intelligitur, cur Germani animum pacatum in hostilem mutaverint (μετέγνωσαν). Conspicientes enim paucos equites Cæsarianos (ἰππέας αὐτοῦ ὀλίγους ἰδόντες) eos contempserunt (κατεφρόνησαν). Videlicet cogitaverunt se facile paucos hostes victuros esse.

Nunc quærendum est, utrius editioni fides attribuenda sit. Dio procul dubio fide dignus esse videtur, sed sunt fortasse, qui Dionem vel potius eius auctorem animo hostili erga Cæsarem motum impetum a paucis iuvenibus temerariis factum finxisse putent, ut is accusari posset se pro iniuria paucorum totum populum Germanorum interitu ultum esse. Animo autem hostili auctor Dionis hic non movetur, quia interitum populi tacens solum de cæde peditum inimici loquitur (τῶν πεζῶν... κατεφρόνευσε). Contra Cæsar fuse hunc interitum capitibus quarto et quinto decimo describit et ita se crudelem præbet. Nihil ergo impedit, quin Dio res ita, ut factæ sunt, narret. Et imperator Romanus veritatem rerum nimirum noverat. Ita scribens *hostes, ubi primum nostros equites conspexerunt* ad res a Dione relatas spectare videtur, qui habet ἰππέας αὐτοῦ ὀλίγους προσίοντας ἰδόντες, quibus verbis ad equites

Germanicos refertur. Tamen pugnam equestrem exponit, quasi hostes universi cum equitibus eius praeliati sint, cum re vera solum equites iuvenes Germanorum pugnae participes essent.

Aliud gravius accedit, ut credamus Dionem, non Cæsarem, veritatem integram conservavisse. Cæsar enim legatos Germanicos post pugnam equitum ad se venisse *sui purgandi causa, quod contra atque esset dictum et ipsi petissent, praelium pridie commisissent* (13, 5) declarat. Sed frustra quaeritur, quibus argumentis usi Germani se purgaturi fuerint, si *hostes* universi (12, 1) impetum in equites Cæsarianos fecissent. Contra apud Dionem facile et credibiliter se excusant. Cæsarem enim orant, ut sibi ignoscat, culpam conferentes ad paucos, id est ad equites iuvenes: καὶ ἐδέοντο αὐτοῦ συγγῶναι σφίσι, τὴν αἰτίαν ἐς ὀλίγους τρέποντες.

Ut supra diximus, apud Cæsarem hostes universum impetum in equites Cæsarianos fecisse dicuntur (12, 1). Tamen e narratione sequenti apparet eum de pugna loqui, quæ inter equites solos facta sit. De hostibus enim Germanicis legimus *bis* (equitibus Romanis) *resistentibus... ad pedes desiluerunt*, scilicet *hostes* (12, 2). *Hostes* igitur non sunt nisi equites hostium. Tamen Cæsar eos fere hostes, sed suos *nostros equites* vel *nostros* tantum appellat (12, 1, 2, 4).

Ita initio capitis duodecimi de hostibus affirmat *cum ipsi non amplius octingentos equites haberent*, quasi equites pars hostium aggredientium fuerint. Tum de Pisone Aquitano dicitur *bic cum fratri intercluso ab hostibus auxilium ferret* (12, 5) et de fratre eius *se hostibus obtulit* (12, 6). Hoc modo legentes ad credendum induci possunt equites Germanicos esse pro hostibus universis. Huc quoque spectat locus capitis tertii decimi (4-5), quo Germani in universum ii esse dicuntur, qui *ipsi* indutias *petissent* et *praelium commisissent*. Re vera autem, ut vidimus, Germani universi ab equitibus Cæsarianos aggredientibus clare distinguendi sunt. Altera ex parte Cæsar narrando res non fingit, non mentitur, sed alias omittit, alias ambigue exponit. Dio Cassius autem, quod quidem ad praelium equestre attinet, res exacte refert, quoad iudicare possumus.² Quaerendum quoque est, quo consilio Cæsar hunc narrandi modum delegerit. Eum delegit, ut impetum improvisum contra indutias in Germanos factum et extinctionem populi eorum crudeliter a se commissam efficacius excusaret. Id fecit, cum praelium equestre a Germanis universis ortum esse contendit, quos *per dolum atque insidias petita pace ultro bellum* intulisse affirmat (13, 1). Cæsar se diligenter de hac re excusare debuit, quia ante medium mensem Novembrem anni quinquagesimi quinti a. Chr. n.³ nonnulli in senatu, ut

ait Suetonius (Cæs. XXIV, 3) *dedendum eum*, scilicet Cæsarem, *hostibus* censuerunt. Plutarchus (Cæs. 22, 4) Tanusio Gemino auctore usus narrat tum Catonem hanc sententiam tulisse ὡς ἐκδοτέον ἐστὶ τὸν Καίσαρα τοῖς βαρβάροις ἀφοσιουμένους τὸ παρασπόνδημα (indutias violatas)...⁴ Illo tempore autem senatus victoriæ causa (ἐπὶ τῇ νίκῃ), quam Cæsar de Usipetibus et Tencheris adeptus erat, supplicationem Cæsaris, id est dies festos viginti et sacrificia, decrevit.⁵ Cæsaris igitur maxime intererat quam accuratissime crimen defendere indutiarum violatarum.

Petrus Huber⁶ contendit Cæsarem perfidum impetum equitum Germanorum finxisse, ut ius gentium a se læsum excusatione tegeret, sed argumentum, quo utitur, mihi non persuadet. Viri docti enim sententia principes Germanorum die post praelium equestre a Cæsare narratum in castra ad Cæsarem non venissent, si ullius culpæ sibi conscii fuissent. Sed, si Cæsari credimus, hi *sui purgandi causa* venerunt, scilicet putantes Cæsarem eis fidem attributurum esse. Huber vero narratione Dionis Cassii uti debuit. Id autem non fecit et ob eam causam non intellexit legatos nullius culpæ sibi conscios fuisse, non quia praelium equestre non factum esset, sed quod ipsi hoc praelium condemnauerant (καὶ αὐτῶν, id est equitum, οἱ πρεσβύτεροι καταγόντες πρὸς τε τὸν Καίσαρα... ἦλθον). Recte igitur Zecchini (68 adn. 160) veritatem Huber egressum esse censet opinantem praelium equestre a Cæsare fictum esse. Zecchini autem errat putans legatos apud Dionem haud sinceros esse paucis equitibus culpam attribuentes et ideo Dionem Germanis maiorem invidiam facere quam Cæsarem. Contra, ut vidimus, legati apud Dionem sinceri fuisse videntur et re vera Cæsar, cum impetum equitum pæne a Germanis universis (*hostibus*) ortum esse contendit, Germanis maiorem invidiam facit quam Dio.

Recte autem Christina Trzaska-Richter⁷ iudicat affirmans Cæsarem non esse neutrius partis de Germanis scribentem. Auctorem enim rerum neutrius partis excusationes legatorum relaturum fuisse, cur impetus equitum factus esset, sed Cæsarem id consulto omisisset. Trzaska autem tacet de Dione Cassio, qui id ipsum fecit. Multo ante W. Drumann⁸ haud recte Cæsare et Dione sine ullo discrimine usus affirmaverat Cæsarem equites suos eo procedere iussisse, ut equites Germanici timore, ne castra sua improvise opprimerentur, et a iuvenibus bellandi cupidi ducti equitibus Cæsarianis se obicerent, ubi primum eos conspicerent. Cæsaris autem verba ipsa talem suspicionem minime movent. Clare enim *sese non longius milibus passuum quattuor aquationis causa processurum eo die* legatis

respondit (II, 4) et *ad præfectos... mittit, qui nuntiarent, ne hostes prælio lacesserent* (II, 6).

Nunc restat, ut locum examinemus, quo Cæsar obsidionem Atuatuorum oppidi describit (II 29-33). Hic quoque narratio Dionis Cassii (39, 4, 14) cum Cæsaris comparari potest. Cæsar pluries declarat (31, 3 et 32, 4) Atuatuos specie tantum se Romanis dedidisse, re autem in animo habuisse in Romanos improvise impetum facere (33, 2). Ita factum est. Tertia enim vigilia eruptionem fecerunt (33, 2). Cæsar eos severe punivit. *Sectionem huius oppidi universam vendidit* (33, 6).

Dio Cassius a Cæsare eo imprimis discrepat, quod apud Dionem Atuatuoci primo se tradere volunt et propterea per caduceatorem cum hostibus de pace agunt (διεκρηκεύσαντο 4, 3), sed postea opinionem mutant (μετέγνωσαν) et ita noctu eruptionem faciunt. A Romanis autem cæduntur (ἐσφάλησαν 4, 4) et veneunt.⁹ Utri fidem habere possimus, difficile est dictu. Aliter ac locis antea tractatis hic utraque editio credibilis esse videtur. Dio breviter et eo minus clare narrat. Cæsaris narratio maiore diligentia commendatur. Atuatuoci, ut deditionem sincere factam confirment, magnam armorum multitudinem de muro iaciunt. Sed iam ante deditionem simulatam initum esse ab Atuatuocis consilium Cæsarem aggrediendi affirmat declarans hostes Romanis partem tertiam armorum non tradidisse, sed in oppido celavisse (32, 4). His enim armis Atuatuoci in eruptione usi sunt, quod Romani facile intellegere poterant ea cum illis armis comparantes, quæ hostes antea de muro, ut deditionem simularent, iecerant (32, 4).

Quod ad totam narrationem attinet, perspicuum est Cæsarem perfidiam Atuatuorum vehementer vituperare, cum Dio Atuatuos se dedidisse non referat, sed nonnulla arma (ὄπλα τινά), ut pacis amorem significarent, de muro icisse, postea autem animum commutavisse (μετέγνωσαν 4, 4) satis habeat dicere. Altera ex parte Cæsar fortitudini Atuatuorum amplissimam laudem tribuit (33, 4). Contra Dio Cæsaris animum ab indulgentia alienum fuisse notat (οὐδεὶς... συγγνώμης ἔτυχεν 4, 4). Scriptor igitur Græcus Tanusio Gemino, erga Cæsarem, ut dicitur, hostili, usus esse videtur.

His dictis quæstio, utri, Cæsari an Dioni, fides tribuenda sit, nondum explicata est. Rem accurate consideranti Dio fide indignus mihi videtur. Narrat enim Atuatuos, postquam turri Romanorum sibi appropinquante perterriti essent, de pace egisse et nonnulla arma, scilicet ad voluntatem pacis significandam, a muro icisse, tum milites Romanos e turri egressos gaudium atque lætitiā agitavisse, tamquam iam hostes vicissent. Eo opinionem mutantem Atuatuos

Romanos nihil timentes aggressos, sed ab his victos esse. Hæc narratio pro credibili non sumenda est. Cæsar enim ab hostibus postulat, ut omnia arma tradant (II 32, 1-2) et apud eum Atuatuoci, quæ imperentur, se facere dicunt, id est in deditionem veniunt (32, 3). Non autem credibile est, ut Dio contendit, Romanos e turri egredi et hostes a se victos esse putare, si hi solum de pace egerint, sed nondum se dederint. Cæsar, qui paulo post (4, 4) semper omnia accurate administrare dicitur, tantam militum temeritatem certe prohibuisset. Accedit, quod non intellegitur, cur Atuatuoci de pace quidem agant, sed eam non conficiant. Quærendum quoque est, qua de causa Dio vel potius auctor eius, Cæsari malevolus, a veritate deflexerit. Deflexit, ut Atuatuos criminis perfidiæ absolveret. Nam, nisi Cæsari se dediderunt, quod Dio clare significat, ex improvise eruptionem facientes vere perfidos se non præbuerunt, etsi pacem cum eo facere se velle ostenderunt. ❧

1. G. Zecchini, *Cassio Dione e la guerra gallica di Cesare*, Mediolani 1978, 68 adn. 160, argumento non nitens Cæsarem Germanis indutias non concessisse contendit.

2. Aliis locis Cæsar propius quam Dio ad veritatem accedit. Cf. librum meum *Cæsars Politik in Gallien. Interpretationen zum Bellum Gallicum*. Secunda editio in urbe Bochumensi anno MM apud Brockmeyer, 128-131.

3. Cf. Cic., *ad Attic.* IV 13, 1 et M. Gelzer, *Cæsar*, Visbadæ 1960^o, 118 adn. 117 et 119 adn. 119.

4. Cf. Plut., *Cato Min.*, 51.

5. Quod ad Tanusium Geminum pertinet, Plutarchus, *Cæs.*, 22, 4, scribit Τανύσιος δὲ λέγει Κάτωνα... ἀποφήνασθαι γνώμην ὡς ἐκδοτέον ἐστὶ τὸν Καίσαρα... Tanusius primo sæculo a. Chr. n., si Senecæ (*epist.* 93, 11) credimus, Annales, si Suetonio (*Cæs.* 8, 2), Historiam composuit. Livius hoc opere, Livio autem postea Dio Cassius fortasse usus est. Plutarchus non affirmat Tanusium Cæsaris prælium cum Germanis narravisse, sed, quia Catonis sententiam de hoc prælio in senatu latam se a Tanusio comperisse declarat, hunc prælium ipsum descripsisse putandum est.

6. *Die Glaubwürdigkeit Cæsars in seinem Bericht über den gallischen Krieg*, Bambergæ 1931^o, 73-74.

7. *Das römische Germanenbild in Politik und Propaganda von den Anfängen bis zum 2. Jahrhundert n. Chr.*, Bochumer altertumswissenschaftliches Colloquium VIII, Augustæ Treverorum 1991, 121.

8. *Geschichte Roms in seinem Übergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung*. Secunda editio edita a P. Groebe, Lipsiæ 1906, 261.

9. Discrepantiæ inter scriptores a nobis observatæ Andreas Fuchs, *Cæsars Tragödie über die Atuatuocer*, Gymnasium III, 2004, 265-282, rationem non ducit, etsi Cæsarem cum Dione comparat.

DE RATIONIBVS, QVIBVS DEI EXSISTENTIA NVPER PROBATA SIT IN AMERICA

– scripsit Samius Jansson –

Deum esse mortuum ait philosophus Fredericus Nietzsche.¹ Deum igitur saltem olim exstitisse censuit.

Recenter præsident Georgius W. Bush participavit disputationem scientificam inter scientiam et religionem. Nam in Civitatibus Americæ Unitis aliqui iuristæ, biochemistæ et philosophi vetus argumentum de Deo mundi designatore, e sepulchro theoiarum confutatarum laboriose effoderunt. Asseverant naturale reperiri posse indicium quo existentia Dei probetur. Mundum esse tam multiplicem, ut nullo modo sponte et fortuito evolvi potuerit. Hanc thesin, quam etiam præsident Bush sibi defendendam occepit, rationibus a natura ipsa petitis veram esse demonstrare cupiunt. Ad hunc finem proponunt multa exempla naturæ multiplicis, quo facto concludunt Deum esse ens supernaturale, quod ex nihilo mundum designaverit et creaverit. Hæc thesis, aliis verbis, eadem est ac creationismus empiricis indiciis defensus sive *theologia naturalis*.² Quis non audivit Ioannis Locke sententiam? *Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu*.³ Godofridus W. Leibniz addidit *nihil nisi intellectus ipse*.⁴

Si quid in natura existens valde multiplex est, opus non est novum ens supervacaneum fingere, quo rem melius intellegamus. Si indicio sumimus rerum naturalium pulchritudinem, multipliciter et magnificentiam et concludimus eas ipsas res esse designatas a Deo, difficultates invitamus. Aliquis enim potest nos rogare, qua ratione explicemus, quid vel qualis sit Deus designator. Itaque scientiam de Deo adhuc non intulimus, sed potius quæstionem. Parum sufficit respondere mundum esse tam multiplicem, ut aliter eundem non possimus explicare, nam adversarius noster, quo rem clarius explicemus, videlicet iterum postulet. Sitne Deus designator extra mundum aut in mundo? Non est obliviscendum nos debere tres condiciones scientiæ assumere, aliter non de scientia agitur. Nempe (1.) credimus X, (2.) habemus indicium, quo X probatur, (3.) X est verum. Hæc est *theoria correspondentiæ ad veritatem demonstrandam*.

Si asseveramus exempli gratia delphinum esse tam multiplex animal, ut necessario sit ab intellectu divino designatum, interrogare potest adversarius noster, nonne hoc sit idem ac si dicamus eundem intellectum esse *causam* delphini. Nam Aristoteles moneret designatoris notitiam de delphino esse causam formalem et creatorem esse causam efficientem. Quomodo talis causa extranea res naturales efficere possit, nisi sit ipsa naturalis causa? Etiam omniscientia Dei difficilis est intellectu. Qui omnia cognovit, nihil designat. Num Deus designator iam statim a principio cognovisset

qualem mundum se creaturum esse, si quidem ei opus fuisset mundum designasse priusquam effecit, ut mundus sit factus? Quid opus sit designare rem iam notam?⁵

Quæcumque res in natura existit, plane similibus rationibus ac illis, quibus de eius existentia parum cognovimus, etiam plures de eadem re notitias veras invenire possumus. Indiciis naturalibus facile de hac re certiores fimus. Et quod indiciis naturalibus demonstratur nihil præter rerum naturalium existentiam, Deum nusquam nisi in hiatis scientiæ naturalis late-re posse iudicant cynicissimi. Si Deus *mundi huius designator* est in mundo, ubi erat antequam mundum designavit et creavit? Vix quisquam credit eum simul se ipsum creavisse. Deum, si existit, extra mundum iam a principio exstitisse persuasum habeo. Ita omne indicium naturale perdidimus.


Theologia naturalis est vetustissimum inventum, dubitandum tamen est num multi neocreationistæ historiam huius argumenti ignorent. Iam enim Marcus Tullius noster designatorem mundi existere disseruit opere *De natura deorum*. Sanctus Anselmus, archiepiscopus Cantuariæ (*Canterbury*, 1033-1109 a.d.) divinum ens necessario existere rationibus pure logicis probare temptavit, nempe Deum esse summam perfectionem. Anselmus rem nobis explicavit hac fere ratione: Deum esse maiorem quam intellegere possimus, quamvis possimus intellegere, quid sit summa perfectio, et quod intellectus noster concipiat summam perfectionem, certe esse summam perfectionem perfectiorem quam intellectum nostrum et ideo necessario existere.⁶ Sancti Anselmi demonstratio est, ut aiunt philosophi, *argumentum ontologicum*. Iam antiquis temporibus philosophi quidam, ut Strato Lampsacus, Davidus Hume et Immanuel Kant, impedimenta fere insuperabilia contra similia argumenta accumularunt. Kant monuit, si asseveremus Deum esse talem, *ut necessario existat*, nos re ipsa simul præiudicare necessariam existentiam esse *proprietas*.⁷ At quid est proprietas? Exempli gratia inter equi nigri proprietates quædam est «nigritas». Potestne aliqua proprietas esse necessaria condicio sine qua aliqua res existere non possit? Cogitate exemplum: amicus meus est validus, formosus, habet nigros capillos et existit. Etiam dicere possum amicum meum non esse validum, non formosum, non habere nigros capillos. Quid si dicam amicum meum non existere? Item, potestne «nigritas» existere absque re nigra? Doctor Angelicus quinque probandi methodis persuadere nobis voluit Deum existere. Secundum enim St. Thomam Deus sit (1.) primus motor, (2.) prima causa, (3.) ens necessarium, (4.) summa perfectio,

(5.) designator mundi. Kant acriter animadvertit omnes methodos a St. Thoma traditas evidenter esse theologiæ naturalis ideoque argumento contrario supra dato subiectas.

Cur mundus existit? Cur potius nihil factum est? Nobis est respondendum, ut ait Leibniz, qua de re mundus factus sit. Fieri enim potuisse, ut nihil, quod hoc in mundo factum sit, fuisset factum. Mundum non necessario existere conclusit. Hoc est argumentum cosmologicum sive *argumentum a contingentia mundi*.

Feliciter nihil obstat, ut ait Renatus Descartes, quin tales notitias, quas *Revelatione Divina cognovimus*, habeamus certiores quam omnes alias notitias, quarum de veritate certi sumus facti rationibus humanis.⁸ Si facilis explicatio mundi nobis Revelatione sponte data est, non sumus compulsi hanc rem amplius cogitare. ❖

1. Nietzsche, Friedrich (1895), *Der Antichrist*.
2. Paley, William (1802), *Natural Theology*.
3. Locke, John, (1690), *An Essay Concerning Human Understanding*.
4. Leibniz, Gottfried Wilhelm (1714), *Essais de théodicée sur la bonité de Dieu, la liberté de l'homme et l'origine du mal*.
5. St. Thomas (1264), *Summa contra gentiles (SCG)* 1 cap. 79, *Quod Deus vult etiam ea quæ nondum vult*.
6. Plantinga, Alvin (1974), *The Nature of Necessity*.
7. Kant, Immanuel (1781), *Kritik der reinen Vernunft*. Videte etiam St. Thomas : *SCG* 1 cap. 22.
8. Descartes, René (ca. 1628), *Regulæ ad directionem ingenii*, Reg. 3. Videte etiam St. Thomas : *SCG* 4 præfatio.





In hoc fasciculo !

- De ruina cuiusdam societatis humanæ* [G. Licoppe] p. 1
Nova epistula de tolerantia [L. Willemarck] p. 3
Felix Fabri peregrinator ad Hierusalem [Æ. Nestola] p. 5
Documenta quædam academica anni 2007 [Th. Sacré] p. 9
Cæsar cum Dione Cassio comparatus [G. Lieberg] p. 12
De rationibus quibus Dei existentia nuper probata sit [S. Jansson] p. 15

*Imago tegumenti : Idolorum adoratio in insula Paschali (1873); imago sumpta
ex : <http://www.jeanbervedaude.com/Ile%20de%20Paques%20gravure.htm>.*

HVMANITAS

Omniū gentiū conventus de humanitate nostra ætate restituenda
Neapoli instituetur a die XV ad diem XXII m. Iulii a. MMVII
Instituto Philosophiæ Studiis provehendis patrocinante,
Vivario Novo et opere fundato, cui nomen Mnemosyne foventibus,
Sodalitate, quæ PHILIA compendiariis litteris inscribitur ordinante.

« Nobis hunc conventum instruētibz illud propositum est, ut quam vitalis etiā nunc sit humanitatis ac bonarum litterarum vis appareat et exstet; quantum ipsa valeat ad iuvenum animos informandos; ad regendam administrandamque rempublicam; ad naturales quæstiones ratione quadam tractandas et via; denique ad humanum genus humanius faciendum. Quotiescumque enim nos cum iis, qui ante nos multis sæculis in his terris fuere, composuimus, tunc melius animi nostri vitæque, quam cottidie exigimus, nobis consciī fieri solemus, atque firmiora futuri temporis iacimus fundamenta, quasi robustissimæ quercus, quæ, ut ait Zielinski ille, cum radices in terram egerunt, noluerunt retrorsum regredi, at potius truncos sursum tollere, ramos late diffundere, gemmas, flores, fructus quam uberrimos edere. Est enim humanitas tamquam patria omnium communis, qua quidem homines inter sese lingua, religione, institutis diversi alii cum aliis omni discrimine longe remoto artissime coniunguntur. Studia humanitatis nuncupantur, iuxta Leonardi Bruni illud, quod homines perficiant atque exornent; ac liberales dicuntur disciplinæ non modo, quod sint libero homine dignæ, verum etiam quia hominem liberum efficiunt. Liberum sane ab omnibus præsertim opinionum commentis, ab illo turpissimo ac deformi rerum obsequio, quæ identidem in more ac pretio videntur esse; atque adeo liberum animi iudicium faciunt, ut præiudicatis quibuslibet opinionibus excusis atque sublatis, nullius addictus iurare in verba magistri, homo ad rerum veritatem totus contendat pro virili assequendam. At res, quæ nunc sunt, omnino alio tendere videntur. 'Sæculum est' dixerit quispiam, 'ac sæculo parendum'. Nos vero uno ore cum Augustino respondemus: 'Nos sumus tempora: quales sumus, talia sunt tempora'. »